



~~AM. 13.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

VI-51.

SIGNAT. MDCCCXIII.

IN NOMINE JESU!
SYNTAGMATIS HIMMELLANI
DISPUTATIO XXIV.

DE
JUSTIFICA-
TIONE,

Quam
IN ILLUSTRIS ACADEMIA WITTENBERGENSI

D. XXVII. MARTII, A. MDCL.

PRÆSIDE

Perquam Reverendo, Clarissimo, & Excellentissimo
VIRO,

DN. M. JOHANNES MEISNERO

SS. Theologiæ Licentiando, Ejusdemque Professore Extra-
ordinario, Collegii item Philosophici
Adjuncto dignissimo,

Dn. Præceptore ac Fautore suo honorando,

Disquisitioni sistit publicæ

STEPHANUS FRANCISCI
Solnensis Pannonius.

Habebitur in Auditorio veteri mane.

Typis MICHAELIS WENDT.

V I R I S

*Generosis, Nobilissimis, Amplissimis,
ac Consultissimis,
Virtute, doctrinâ rerumq; Politicarum usq;
& peritiâ spectatissimis:*

DN. J E R E M I Æ F A B R I T I O
inclutæ Reipubl. Solnensium Senatori pri-
mario gravissimo, ejusdemque Notario pru-
dentissimo.

DN. M I C H A E L I F I R I T Z
Provisori Arcis & Comitatus Arvensis
longè fidelissimo juxtâ ac me-
ritissimo &c.

UT ET

*Admodum Reverendo, Clarissimo
& Doctissimo*

DN. L A U R E N T I O G A L L O V I T I O
Pastori Ecclesiæ Moschoviensis vigilantissi-
mo & Contubernij ibidem Ecclesiastici Asses-
sori dignissimo.

*DN. Mæcenatibus, Patronis, Promotoribus
Illi Magno-Patri & Tutori, Isti Patruo,
Huic Affini, omni honoris & amoris cultu,
debitoq; obsequio æternùm devenerandis.*

Hoc γύνασμα Himmelianum, in debitæ obser-
vantix monumentum, & gratianimi docu-
mentum submissè offert & dedicat

STEPHANUS FRANCISCI.

Eximio. *Præstantissimoq;* Dn. STEPHANO FRAN-
CISCI, SS. Theol. Cultori industrio publicè
disputaturo.

Quid cumulasse juvat fluxas juvenilibus annis
Divitias, artes quid didicisse vagas?
Hæc ars, hæc laus est, hæc est Sapiencia vera,
Nosse DEUM, & veras nosse salutis opes.
Hæc est votorum, FRANCISCI, summa tuorum,
Ut possis solum noscere ritè DEUM.

f.
P R Æ S E S.

Dum Witeberga Tuas pugnas, Dilecte, recenset,
Commendat patriæ prælia pulcra Tuæ!
Hæc favet alma Tuis bellis, bona mille precata
Addens: hic STEPHANUS laurea SERTA gerat!

benevolentia testanda deprop.

M. Johannes Ern. Gerhardus Jenensis
Colleg. Phil. Adjunctus.

TE FRANCISCE, pium patriæ huc misere Parentes
Quod morum integritas intemerata probat.
Mox Sacra atq; artes doctum Witeberga remittet,
Id labor in studiis comprobatur assiduus.
Hosce pios-doctos meritò nunc gratulor ausus
Et precor increscat gloria, vita, salus.
Gloria Divini verbi, tum mystica Vita,
Languentis Patriæ, post TIBI plena Salus.

Gratul & prec.

M. Christianus Seelmann, Co-
burgo Francus.



Dum Te FRANCISCI studiorum suscitatur ardor,
 Conscendis subito pulpita Leucoridos.
 Pergito sic semper doctum certamen inire,
 Prestabis Patria commoda multa Tua.

Dn. Conterraneo & Amico suo
 l. mq; adj.
 Johannes Kottay Cassoviâ Hungarus.

In Symbolis Fraternalibus
 has Disputationes obtulit
 D. P. Abrotas Cron-Pannon-
 Lipchen a. l. Matthias
 Abrotas Pannon-Lypt-
 Rasz tot no ad St. Vag
 in Schola Czemel. 1699
 Die 19 Martii.

מחפץ שמח אחי לך
 אורי מודע דעת בך;
 הן מוכיח אשר חסאים
 לפני אלהים מצדקים;
 חוק ואמץ שוב בצדיה
 זה הפעף לא בנשיה;
 אל הנקן והן את-הן לך
 ישכן תמיד האמונה בך.

Contubernali suo fratris instar unice dilecto
 gratul: apposuit
 Valentinus Perack Pannonius
 S.S. Theol, & L. L, Oriental,
 Studiosus.

Stephanus Francisci Solnensis Pannonius
 Per Anagram.

I, nunc: annon hinc sola spes Patris fuisses?

ἐξίγνησις
 I, nunc FRANCISCI felix curare labores
 Cœptos: Annon hinc Patris spes sola fuisses?

Zacharias Kalinkius
 Rosobergâ Pannonius.

SYNTAGMATIS HIMMELIANI

DISPUTATIO XXIV.

De

JUSTIFICATIONE.

PRÆSIDE

M. JOHANNES MEISNERO S.S. Theol.
Prof. Extraordin. & Coll. Philos. Adj.

Respondente

STEPHANO FRANCISCI
Solnensi Pannonio.

Habebitur d. Martij. horis antemerid.

In Auditorio Minori.

THESIS I.



Actenus de actione DEI quæ fit vocatio-
ne Verbi & Sacramentorum; sequitur
ea, quæ fit *Justificatione*.

2. NOMEN *Justificationis* usurpatur
ab autoribus *vel profanis, vel sacris*.

3. *A Profanis Latinis* usurpatum non legi testatur
ipsemet Jesuita Francisc. Coster. c. 6. p. 227. & Bellarm.
2. de Justif. c. 3 §. ad tertium. *A. Grecis* usurpatur triplici-
ter 1. *Neutraliter* pro existimare seu censere. 2. *Active* pro
supplicio afficere seu punire. 3. *Passive*, sed bonam in
partem, pro justitiam consequi, Vide D. Meisn. parte 2.
Phil. Sobr. p. 321.

Ggg

4. Ab

4. Ab autoribus *Sacris* usurpatur, tùm in V. tùm in N. T.

5. In V. T. Lingua originali descendit verbum Justificare à R. פָּרַט quod in Kal notat justitiã habere, Pl. 18, 10. Ps. 142, 2. Job. 9, 20. Es. 54. ult. in Piel Justitiã alicui tribuere Jer. 3, 11. Job. 32, 2. Ezech. 16, 51, 52. in Hiphil in judicio aliquem absolvere & justum pronunciare Genes. 44, 16. Exod. 23, 7. Deuter. 25, 1. 2. Sam. 15, 4. Proverb. 17, 15. Esa. 5, 23. Hithpael seipsum justificare & causã suã bonitatem demonstrare Gen. 44, 16.

6. In N. T. vix ulla verbi δικαιῶν significatio dabitur, quã non alicui ex V. T. indigitatã correspondeat.

7. In Justificationis Articulo verbum *justificare* est forense, pertinens ad conjugationem Hebræorum tertiam Hiphil & Relationis prædicamentum. Quod probamus:

8. *I. A natura Vocis*, hoc Syllogismo: Cujuscunq̃ue vocis & Synonyma seu æquipollentia, & Opposita seu contraria, sunt forensia, illa itidem forensis est. Atqui vocis, *justificationis*, & Synonyma usurpata tùm à Christo Johan. 3, 18. c. 5, 24. tùm ab Apostolo Coloss. 2, 13. & Opposita, qualia sunt; accusatio Roman. 8, 33. condemnatio Rom. 5, 16. ligatio Matt. 16, 19. sunt forensia. E.

9. *II. A conditione actûs forensis*, hoc argumento: Ubicunq̃; res ipsa seu signatum est forense & judiciale, ibi & nomen seu signum est tale. Atqui justificationis res seu negotium & signatum est forense & judiciale. E. & nomen seu signum est forense ac judiciale. Assumptio probatur ab Adjunctis actûs forensis & processus judicialis: In quocunq̃ue enim actu concurrunt essentialia

tialia requisita actus forensis & processus judicialis, ille forensis ac judicialis est. At in actu justificationis occurrunt requisita essentialia actus forensis & processus judicialis; nimir. *I. Judicium*, Job. 9, 24. Ps. 142, 2. *II. Debitum*, Matth. 18, 24. *III. Chirographum*, Coloss. 2, 14. *IV. Reus*, Rom. 3, 4. *V. Actor*, Rom. 3, 20. *VI. Testis*, Roman. 2, 15. *VII. Tribunal*, Rom. 14, 10. 2. Corinth. 5, 10. *IIIX. Advocatus & Procurator*, 1. Johann. 2, 1. *IX. Judex*, Joh. 5, 27. Actor. 10, 42. c. 17, 31. *X. Sententia decisiva*, Matth. 25, 32. & sequentibus. *XI. Appellatio* à throno justitiæ ad thronum Misericordiæ, Joh. 9, 2. & 3. Psal. 142, 2. Matth. 18, 26. Rom. 3, 23, 24. Hebr. 4, 16. *XII. Debiti remissio*, 2. Sam. 12, 13. Matth. 18, 27. Ergò actus justificationis est actus forensis & judicialis.

10. *III. A Testimonio* tùm Patrum, tùm plurimorum Pontificiorum, quorum verba allegat D. Gerh. tom. 3. de justif. §. 8.

11. Cespitant igitur in primo statim limine Je-suitæ, vocabulum justificationis sumendo, vel pro infusa justitiæ acquisitione, vel justitiæ augmento & accretione, unde *duplicem* fingunt justitiam, primam & secundam, (Salmer. addit tertiam, tom. 3. comment. pag. 342.) *illam* vocant gratuitam, quæ locum habeat in infantibus, de qua loquatur Paulus Roman. 3. *hanc* verò meritoriam, quæ locum habeat in adultis, de qua agat Jacob. c. 2. Bellarm. lib. 1. de justif. c. 1. lib. 2. c. 3. Coster. l. d. Beca. de justif. cathol. c. 1. th. 2.

12. Contra duplicem hanc significationem argumentor 1. A Justificationis Definitione: Si Justificatio est Justitiæ infusio, etiam peccatorum remissio erit

justitiæ infusio. Consequens absurdum, E. & Antecedens. Ratio connexionis est, quia Rom. 3, 25. Justificatio per *remissionem* peccatorum definitur. Quis verò peccatorum remissionem per justitiæ infusionem sine insigni absurditate definirer?

13. II. A Justificationis Forma. Si justificationis forma unica, tum per justitiæ infusionem, peccatorum remissionem, & bonorum operum productionem haud definiri poterit. At verum Antecedens, ex confessione Concilij Trid. Ses. 6. c. 7. E. & Consequens. Connexio patet, quia justitiæ infusio, & B. operum productio (quæ omnia ad justificationis essentiam pertinere putant Pontificij) non formæ sunt unica, sed triplex: Habitus nim. seu generatio, privatio seu corruptio, & effectus.

14. Contra justificationem duplicem (quæ arx & primarium causæ pontificiæ fulcrum) ita argumentor: I. Si uno modo justificamur omnes, sequitur, unam, non geminam esse justificationem. Verum Antecedens ex Actor. 15, II. E. & Consequens. II. Si justificatio est prima seu gratuita, & secunda, seu meritoria, non solo Evangelio, sed & lege justificamur. Consequens est falsum, uti patet Roman. 3, 28. c. 8, 3. Gal. 2. E. & Antecedens. III. Si justificatio est prima & secunda, utique homo ex Dei gratia accipit in justificatione prima minus, in secunda verò ex proprio suo merito majus. Consequens absurdum & impium. E. & Antecedens. IV. Justificatio prima aut erit perfecta, aut nō; si illud, quid opus secunda? Si hoc, nemo infantium, & in prima justificatione morientium salvabitur, contra CHRISTI
STI

ISTI effatum Luc. 18, 16. & Latronis exemplum, cap. 23, 42, 43.

15. Neq; est, quod distinguant inter justificationem & salvationem Je-suitæ (quos hîc sequuntur papizantes Calviniani Johan. Pisc. lib. 2. de justif. cap. 3. cui suffragantur Neo-Marpurgenses) cùm iisdem ex causis quibus justificemur & salvemur, uti clarè patet Eph. 2, 8. Act. 13, 38, 39. cap. 15, 11. Roman. 4, 3, 6, 24. Tit. 3, 5. Licet interim haud negemus differentiam inter justificationem & salvationem, sed ordinis non causæ; illa enim prior & antecedens, hæc posterior & consequens.

16. Viderint verò Calviniani, quî sese liberent à Jesuitarum justificatione prima & secunda, quamdiu cum Beza in colloq. Momp. p. 49. 495. Item Resp. 2. ad Acta colloq. pagin. 97. Piscator. p. 84. Resp. ad dictat. Hoffman. (imò cum Bellarm. l. 1. de baptis. c. 9.) docent: *Infantes justificari fide aliena.*

17. Argumenta Bellarmini pro habituali & infusa vocis, *justificationis*, significatione refellit D. Gerhard. §. 9. 16.

18. DEFINITIO justificationis hæc est: *Justificatio est actio DEI, quâ mera ex gratia hominem sensu peccatorum expavescentem, propter meritum Christi fide apprehensum, remissis peccatis justum reputat.*

19. EFFICIENS justificationis causa, *alia* est Principalis, *alia* Instrumentalis.

20. PRINCIPALIS consideratur *vel* in genere, *vel* in specie.

21. *In genere* considerata est solus DEUS Esa. 43, 25. c. 45, 21, 24. Jer. 17, 28. Ose. 13, 4. nim. *Pater*, causa largiens Jo-

han. 3, 16. *Filius* causa emerens Gal. 2, 20. *Spiritus S.* causa obsignans Roman. 5, 5.

22. *In specie* considerata dicitur *causa impulsiva*, quæ duplex; interna & externa.

23. *Interna* est sola Dei gratia Ephes. 2, 4, 5. per quam nil aliud Scriptura intelligit, quàm Dei misericordiam, dilectionem & favorem; quod hoc probamus Syllogismo: Quamcunque vocis significationem monstrat
1. Etymon. 2. Conjugata. 3. Synonyma. 4. Effecta. 5. Opposita, illa est vera & solida. At vocis, *gratiæ*, significationem dictam monstrat 1. Etymon. 2. Conjugata &c. E. Minor ordine probatur:

24. I. *Ex Etymo Hebræo*: יָרַם enim significat gratificari vel ex gratia dare, & sæpe jungitur cum verbo miserendi, ac per misericordiam redditur, Exod. 33, 19. Gen. 6, 8. Rom. 9, 15. Heb. 11, 7. Dan. 9, 18. Psal. 55, 1.

25. II. *Ex conjugatis*: $\chi\alpha\epsilon\iota\sigma\omicron\mu\alpha\iota$, $\chi\alpha\epsilon\iota\pi\acute{o}\omega$ h. e. gratificor, condono, gratis acceptum habeo Luc. 7, 4, 2. Corinth. 2, 10. Ephes. 1, 6. *In lingua latina* occurrunt ista; gratiam invenire, Genes. 6, 8. Luc. 1, 30. esse sub gratia, Roman. 6, 14. stare in gratia, Roman. 5, 2. 1. Pet. 5, 12.

26. III. *Ex Synonymia*: Nam gratiæ Dei æquipollet DEI misericordia Psalm. 50, 1. Matth. 15, 22. c. 18, 33. Rom. 9, 18. benignitas seu bonitas & $\phi\iota\lambda\alpha\theta\epsilon\rho\nu\iota\alpha$ Tit. 3, 4, & 5. Eph. 2, 7. Charitas & dilectio Joh. 3, 16. Eph. 2, 4, 5, 7. Rom. 5, v. 8. 1. Joh. 3, 1. c. 4, 10.

27. IV. *Ex Effectis*: Gratiæ enim effecta sunt; Electio Rom. 9, v. 11, 12. Eph. 1, 4. Vocatio 2. Timo. 1, 9. Redemptio Johan. 3, 16, 1. Johan. 4, 9. Peccatorum remissio, Psal.

50, 3. Luc. 1, 77. Vitæ æternæ donatio, Roman. 5, 17. cap. 6, 23.

28. v. *Ex oppositione*: Nam gratia DEI hic opponitur Legi, operibus, debito, merito Roman. 3, 4, 6, II. Galat. 2, 2.

29. Errant igitur Je-suitæ, & quidem crassè, contendentes per gratiam Dei hic intelligi renovationem seu dona infusa, qualitatemque. Quibus refragantur non solum syllogismi adducta membra s. quippe quæ omnia non intra, sed extra hominem sunt, sed & orthodoxorum Patrum chorus, ut & plurimi Scholasticorum, imò ipsemet Bellarmin. sibi aliisque contrarius, uti ostendit Gerhard. §. 22. & 23. qui argumenta scholasticorum & Pontificiorum contraria examinat §. 24. 31.

30. *Externa* justificationis causa principalis est *Christus* suo cum merito, tum obedientiæ Matth. 5, 17. Roman. 5, 19. Galat. 4, 4, 5. tum passionis Philip. 2, 8. Joh. 1, 29. I. Johan. 1, 7.

31. Hanc justificationis causam impugnant & Pontificij & Calviniani & Photiniani.

32. Pontificij *partim* teoriâ, *partim* praxi.

33. *Theoriâ* I. Christum justificationis causam non principalem, sed instrumentalem vocando, Bellarm. lib. de justif. c. 2. II. B. Mariam Christo in opere satisfactionis, & merito Christi merita sanctorum associando. Mariale Argentoratense edition. ann. 1493. l. 1. cap. 5. pag. 13. *Ad ultimum*, ait, *Dominus cum ea* (Maria) *& ipsa cum Domino in eodem labore & in eodem opere Redemptionis. Mater misericordie adjuvit patrem misericordiarum, in opere*
re no

re nostræ salutis, unde prædictum est de prima muliere, faciam ei adiutorium. Id. lib. 2. part. 1. causa 24. *Si Maria pro nobis, quis contra nos, & si ipsa est, quæ justificat, quis est, qui condemnet?* Liber Cantio. Dilig. editus An. 1573. *Du Maria rein/ durch dein Gehorsamkeit/ vnd Gottselige Demüthigkeit/ hast dem Teuffel zerknirschet sein Haupt/ vnd ihm aller Macht beraubet.* Atqui si opponas illud Es. 63, 3. *Torcular calcavi solus, & è gentibus non est vir (h. e. nullus hominum Pro. 6, 27.) mecum; frigidè & frivolè respondet Mariale Argentor. pag. 13. Verum est Domine, quod non fuit vir tecum, sed Mulier tecum est, quæ omnia vulnera, quæ tu suscepisti in corpore, suscepit in corde.* III. Totum Christum esse nostrum mediatorem, secundum nim. utramque naturam, negando Bellarm. l. d. & lib. 5. de Christo c. 1. Busæ. disp. de Christo th. 79. ex Lomb. l. 3. sent. dist. 10. lit. G. IV. Christum sensisse dolores infernales inficiando Bellarm. lib. 4. de Christo c. 8. V. Christum non pro omni, sed saltem originali peccato satisfecisse asserendo, Ambros. Cathar. de incruent. sacrif. Nov. Test. VI. Christum suo merito sibi aliquid promeruisse statuendo Bellarm. lib. 5. de Christo cap. 9. ex Lomb. 3. sentent. distinct. 18. Tho. part. 3. Sum. q. 49. Art. 6. Errores hos profligat D. Gerhard. §. 54. 55. ubi §. 56. tractatur quæstio: *An habitualis Christi iustitia à causa meritoria exulet?*

34. *Praxi* oppugnant hanc justificationis causam meritoriam Pontificij, *tum* Regulares, seu Clerici, *tum* Seculares seu Politici.

35. *Regulares* tot habent justificationis modos irregulares, quot sunt Monachorum ordines, quorum quilibet

libet sui ordinis regulis & operibus ac ceremoniis propriam quærit justitiam, adeò, ut ausit effrenis Monachus cum DEO expostulare dicendo: *Redde mihi quod debes.*

36. *Seculares* pro justitia habent alij Missas, alij indulgentias, alij Martyrum passiones, Monachorum & Monialium cucullos, opera supererogationis, alij jejunia, alij peregrinationes ad Sanctorum (ut vocant) loca, alij res ludicras alias, secundum illud: *Mundus vult decipi. Sed quis requisivit hæc de manibus vestris?* Es. 1, 12. *Nonne dictum tibi o homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te?* Mich. 6, 8.

37. *Calviniani* non uno modo impugnant causam justificationis meritoriam I. Christi satisfactionem non omnimodò necessariam fuisse, Deumque sine satisfactione Filij secundum absolutum suum decretum peccata remittere & hominem justificare posse, asserendo, Calvin. l. 2. Instit. cap. 17. §. 1. l. 3. c. 12. §. II. c. 23. §. 1. 5. 7. Muscul. de justif. p. 267. Pare. c. 28. Iren. p. 255. quem errorem hauserunt ex lacunis Scholasticorum, Thom. par. 3. q. 46. ar. 2. Durand. 4. sent. d. 15. Biel. 3. sent. d. 20. Tartaret. 4. sent. d. 15. Vide Mentz. in C. A. art. 4. p. 195. Gerhard. §. 36. & 54. p. 1091. 1092.

38. II. Impingunt hîc Calviniani, meritum Christi mutilando *partim* ratione ipsiusmet meriti, *partim* ratione ejusdem objecti.

39. *Meriti* ratione, docendo; Christum non totali h. e. activa & passiva seu vitæ & mortis, sed partiali h. e. sola obedientia passiva seu mortis, non activa seu vitæ pro nobis satisfecisse. Errorem hunc postlimi-

Hhh

nio

niò reduxit in Ecclesiam Johann. Pisc. cui succenturias præbent operas R. Gocle. Daniel. Tilen. Herm. Ravenſp. Matthias Martin. horumq; complices, quos breviter refutamus hoc Syllogismo :

40. Si Christus non solum pro nobis est mortuus Roman. 5, 6, 10. Sed etiam voluntatem Patris cælestis fecit Johann. 4, 34. cap. 5, 30. cap. 6, 38. Legem pro nobis implevit Matth. 5, 17. Galat. 4, 4, 5. & per ipsius obedientiam constituimur justi Roman. 5, 18, 19. ejusdem beneficio ac merito justificatio Legis in nobis impletur Roman. 8, 4. estque finis & perfectio Legis Roman. 10, 4. factus nobis à DEO justitia 1. Corinth. 1, 30. Ut in eo efficiamur justi 2. Corinth. 5, 21. & justificatio definitur imputatio justitiæ Roman. 4, 4, 5. sequitur Christum non sola passiva mortis, sed & activa vitæ obœdientia pro nobis satisfecisse. Verum Antecedens ex dictis Scripturæ citatis E. & Consequens. Argumenta adversariorum ex professo refutavit H. Eckard. peculiari scripto contra Piscat. Mentz. tom. 3. Giess. p. 434. Gerhard. §. 57. 64.

41. *Objectione* meritum Christi annihilant Calviniani impiè scribendo : Christum non pro toto mundo & omnibus in Adamo lapsis, sed solum pro electis (ac quidem absolute) satisfecisse, ac mortuum esse. Beza Resp. 2. ad Coll. Momp p. 215. 221. item disput. de dignit. & Effect. Sacram. p. 129. idem docent alii, quos lege apud Gerhard. tom. 2. de Elect. §. 116. 117. à quibus quàm multum absit Bellarm. l. 2. de grat. & lib. arb. c. 8. scribens : *credimus DEUM absoluta voluntate velle salvare multos, & absolutâ voluntate alios non velle salvare,*
tunc

tum parvulos tum adultos. Item cap. 9. *Voluit DEUS hominem condere, & ut laboretur permittit, & quosdam ex numero lapsorum misericorditer liberare, aliis in massa perditionis justè relictis.* Item illi qui statuunt: *CHRISTUM non pro omni peccato satisfecisse, nec peccatum, pro quo CHRISTUS satisfecit, ullo modo damnare posse; ipsi met viderint.*

42. Hæresin hanc hoc refellimus Syllogismo duplici, quorum prior petitur à *sufficienti DEI effectu*: Si Christus satisfecit & pro omni peccatore & pro omni peccato, sequitur eum omnes omnino homines redemisse. Atqui satisfecit & pro omni peccatore Matth. 18, 11. Luc. 19, 10. Roman. 5, 18. & 19. tum resipiscente Johann. 3, 16. Marc. 16, 16. tum in peccatis manente & finali incredulitate pereunte Rom. 14, 15. 1. Cor. 8, 11. 2. Pet. 2, 1. Hebr. 10, 29. & pro omni peccato Es. 53, 6. Joh. 1. 7. c. 2, 2. Ergò.

43. Syllogismus posterior sumitur à *flagranti DEI affectu*: Si DEUS etiamnum seriò vult omnium hominum salutem 1. Timoth. 2, 4. nec ullorum vel damnatorum vel damnandorum mortem ac interitum expetit Ezech. 33, 11. 2. Pet. 3, 9. omnesque ad se invitat ac seriò vocat Esa. 55, 1. Matth. 11, 29. & recusantibus ac non venientibus severè irascitur, ac æternam minatur pœnam Proverb. 1, 24, 25, 26. Esa. 65, 11. Jerem. 7, 13, 14. Johann. 3, 18. Luc. 14, 24. sequitur CHRISTUM pro omnibus omninò hominibus, omnibusque peccatis esse mortuum. Verum Antecedens ex dictis allegatis. E. & Consequens.

44. Idem docent Orthodoxi Patres, quorum testimonia & numero benè multa, & pondere gravissi-

ma, collecta sunt ab aliis, nos unico illo Prosperi contenti erimus: *Nullus omninò est ex omnibus hominibus, pro quo CHRISTUS non satisfecerit.*

45. Valeant igitur suis cum distinctionibus frivolis & frigidis Calviniani, de voluntate *signi* & *beneplaciti*, de merito *sufficienti* & *efficaci*, quibus distinctionibus ex Scholasticis Theologis malè detortis qui pessimè abutantur, docent illi, qui argumenta Calvinianorum ex professo refutarunt. Vide Gerhard. tom. 2. de Elect. §. 117. 146. Item disput. nostr. 14. thes. 20. & seqq.

46. *Photiniani* peccant in causam Efficientem justificationis *tùm* internam, *tùm* externam.

47. *Internam* quando gratiam sive misericordiam DEI faciunt absolutam docentes, DEUM absoluto suo dominio peccata dimittere liberè absque ulla interveniente satisfactione. Socin. parte 3. de CHRISTO cap. 2. p. 230. qua parte consentiunt absoluto decreto Calvinianorum & Scholasticorum, quos adduximus thes. 37. & refutat Mentzer. Art. 4. in C. A. pag. 195. 199.

48. *Externam* multifariam iterum corrumpunt, *tàm* ratione Personæ, *quàm* officij Christi.

49. *Personæ* ratione, Deitatem Christi blasphemè impugnando. Hoc enim infaustum illud est principium, in quo *ὀλοψύχως* conspirant omnes, *ἀπιστίας* suæ errores fabricant, unde postmodum *ἐξ ἀνάγκης* sequitur, Christum non potuisse *ἰσοῦροπον λύτῃν* persolvere, cum nudus & purus homo, Nestoriano prorsus furore, dicatur passus, crucifixus, & mortuus. Contra quos
nos

nos ex Scriptura Deitatem JESU CHRISTI solide
asserimus, ex Nominibus, Attributis, Operibusq; divi-
nis. Vid. disp. nostram 4. th. 35.

50. *Officij* ratione I. Satisfactionem Christi pro
peccatis nostris factam Satanicâ πανουργία negando.
Faust. Soci. par. 3. de Christo c. 1. p. 227. & 231. Catech. Rac.
p. 160. 264. Contra sic argumentamur:

51. Si Christus nobis peccatoribus constitutus &
datus est I. Mediator I. Timoth. 2, 5. Hebr. 8, 6. c. 19, 15.
cap. 12, 24. II. Redemptor Luc. 1, 68. Roman. 3, 24, 25.
I. Corinth. 1, 30. Ephes. 1, 7. Colofs. 1, 14. I. Timoth. 2, 6.
Tit. 2, 14. Hebr. 9, 12. III. Peccata nostra transtulit in
se, Esa. 53, 4, 6. Johann. 1, 29. I. Petr. 2, 24. IV. Factus
est pro nobis peccatum, 2. Corinth. 5, 21. V. Maledi-
ctum Galat. 3. v. 13. VI. *ιλασμός* pro peccatis nostris,
Roman. 3, 25. I. Johann. 2, 2. cap. 4, 10. VII. Per eum
sumus reconciliati DEO Roman. 5, 10. 2. Corinth. 5, 18.
IIX. dedit animam suam *λύτρον καὶ ἀντίλυτρον* Matth. 20,
28. Luc. 1, 68. I. Tim. 2, 6. Tit. 2, 14. Hebr. 9, 15. IX. Nos est mer-
catus pretioso suo sanguine I. Petr. 1, 18, 19. à maledi-
ctione legis Galat. 3, 13. cap. 4, 4, 5. ab ira DEI I. Thess.
1, 10. & ab æterna damnatione I. Thessal. 5, 9, 10. Con-
sequens est, Christum pro peccatis nostris verè satisfac-
cisse. Verum prius. E. & posterius. Vide Mentz. in C.
A. 205. Gerhard. §. 37.

52. Addi possunt pro Christi merito rationes lon-
gè plures desumptæ à contritione Serpentis Genes. 3,
15. à Sacrificiis, quæ fuerunt Typi Christi, ab Hirco e-
missario Lev. 16, 15. à rufa juvenca Num. 19, 2. serpente
æneo Num. 21. à pacificatione Ephes. 1, 14. Col. 1, 20. à

Hhh 3

dele-

deletionem Chirographi Col. 2, 14. Vide Scholam Sacrificiorum D. Frantz.

53. II. Obedientiam Christi tanquam creaturæ debitam fuisse statuendo; quippe per quam sibi immortalitatem & gloriam fuerit promeritus. Quæ in parte Photiniani sibi *ἐμὸψηΦον* habent è Calvinianis, Pisc. in Ep. ad Rom. c. 4. in observ. in Bibl. Germ. in c. 2. Luc. è Scholasticis & Jesuitis Lomb. 3. sect. dist. 18. Thom. par. 3. q. 4. 9. ar. 6. Bellarm. l. 5. c. 9.

54. Contra: Quo Christus alios redemit, illud pro seipso non debuit. Atqui totâ suâ obedientiâ tam activâ quam passivâ CHRISTUS alios redemit. E. pro seipso neutrum debuit. Minor roboratur: De obedientia passiva, qua Christus satisfecit pro pœna moriendo & patiando, loquuntur hæc Scripturæ dicta Roman. 5, 6. c. 4. ult. 1. Corinth. 15, 3. Phil. 2, 8. 1. Pet. 2, 21, 24. Johann. 2, 2. cap. 4, 10. De activa, qua satisfecit pro culpâ agendo, hæc loquuntur, Matth. 5, 17, 18. 2. Corint. 5, 21. Gal. 4, 4. consule auctores th. 40. citatos.

55. Ulterius: qui omnem gloriam habuit ab æterno, is sibi ipsi in tempore nil mereri potuit. Atqui Christus omnem gloriam, ut DEUS, habuit ab æterno, quæ ipsâ ut homo apud patrem se petit glorificari Johann. 17, 5. E.

56. Hinc patet, dicta Psalm. 109, 7. Phil. 2, 8, 9. (quæ ab adversariis solent allegari) non describere consequentiam *causalitatis*, ut loquuntur Logici, quasi gloria illa propter mortis meritum Christo collata fuisset, sed consequentiam *ordinis* quia nim: Salvator noster
hunc

hunc ordinem suo in officio tenuit, ut prius patere-
tur, & post mortem demum in cœlestem gloriam in-
traret, idque ex liberrima voluntate. Vid. Mentz. in
A. C. p. 203.

57. Argumenta Photinianorum merito & satisfac-
tioni Christi opposita, pleraque crassissimo opposi-
torum Elencho laborant, quo fingunt simul stare non
posse, meram DEI gratiam & Christi satisfactio-
nem; contra expressum Apostoli textum, Roman. 3.
24. cap. 5, 8. cap. 8, 32. Unde fuit hoc theorema theo-
logicum: *Justificatione elucet tum justitia DEI, tum mise-
ricordia.* Vide Mentzer. in C. A. p. 198. & seq. Meif-
ner. decad. 3. Anthro. Gerhard. §. 38. 54. de justific.
ubi exceptiones objectionesque Photinianorum pro-
fligantur.

58. INSTRUMENTALIS Justificationis Causa
consideratur *vel* DEI, *vel* hominis respectu.

59. DEI respectu est ministerium Verbi & Sacra-
mentorum Causa Instrumentalis exhibens, Luc. 24, 47.
Act. 13, 38. Rom. 10, 38. 2. Cor. 5, 18.

60. Ministerium hoc sensu causam Instrumenta-
lem exhibentem, quam miserè convellant & Pontificii
& Calviniani ostensum part. 1. Harmon. Calvino-Pa-
pist. c. 1. Disp. nost. 1. thes. 27. 47. disp. 19. thes. 58. & seqq. D.
Mentz. adde p. 242. & seqq. in C. A.

61. *Hominis* respectu est *Fides* causa Instrumentalis
accipiens Habac. 2, 4. Roman. 4, 3, 5. quæ fides justifi-
cat, non absolutè in se considerata, ut qualitas; sed
relatè quatenus nim. vera Fiducia apprehendit Chri-
stum

stum cum suo merito; unde Scriptura de fide differens frequenter correlati sui mentionem facit nim. Christi Johan. 3, 15. Act. 10, 43. Gal. 2, 16.

62. Fides autem hæc *sola* justificare dicitur, in circulo videlicet causæ Instrumentalis acceptantis, quæ nec instrumentalem dantem h. e. verbum & Sacramentum, nec principalem nim. Gratiam DEI & meritum Christi excludit, sed præsupponit.

63. Habet verò hæc phrasis: *Sola Fides justificat*, fundamentum 1. in Scripturis 2. in Patribus orthodoxis, 3. in ipsorummet Scholasticorum Pontificiorum, imò & Jesuitarum scriptis, ut mirum sit, quare hodierni Jesuitæ Lutherum tam miserè flagellent, ob versionem German. Roman. 3, 28. quæ tamen ex ipso textu fluit & à Luthero non inventa, sed à plurimis aliis ante aliquot secula usurpata, & saltem à Luthero repetita fuit, uti ostendimus in Apologia B. Luther. p. 38. Vide D. Gerhard. §. 150. 162. ubi prolixè & professo thema hoc tractatur.

64. In Causam hanc Instrumentalem justificationis impingunt & Pontificii, cum Calvinianis & Photinianis.

65. *Pontificij & Calviniani* 1. in locum fidei dubitationem (quæ indubitato ex Calvinianorum absoluto decreto fluit) substituendo, quam dubitationem hoc evertimus Enthymemate: Dubitatio facit I. DEUM mendacem i. Johann. 5, 10. II. pugnat cum fine divinarum promissionum Roman. 4, 16. III. cum-
que

que ipsa fide justificante Johann. 3, 33. Unde fides & dubitatio opponuntur Matth. 21, 21. Roman. 4, 20. Jac. 1, 6. I V. reprehenditur à Spiritu S. Roman. 4. ult. 1. Cor. 8, 7. Ergò à foro justificationis exulare debet.

66. II. Fidei adjungendo B. opera. Quod de Pontificiis certum, atque de Calvinianis apertum. Quippe, qui cum Jesuitis opera adjungunt fidei in foro justificationis, docentes; prædestinatos *per B. opera in vite aeternæ possessionem induci*, Calvin. lib. 3. Instit. cap. 14. §. 21. *B. opera esse necessaria ad salutem*, Beza volum. 1. p. 675. *opera bona suo modo esse causam adjuvantem & efficientem salutis*, Vorst. par. 2. Tess. p. 126. *esse causam sine qua non justificationis, viam per quam pervenitur ad salutem*; adeoq; rectè dici, *nos non salvari sine B. operibus*, Johann. Piscat. lib. 2. de justificat. cap. 3. 14. in Bibl. Germ. c. 6. ad Rom. v. 33. Goclen. disp. 9. Philos. Theolog. lit. B. 2. Similia lege apud Gerhard. tom. 4. de B. operibus §. 45.

67. Peccant hi & Logicè & Theologicè. *Logicè*: Effectus justificationis Causa ejusdem esse haud potest. B. opera sunt Effectus Justificationis, Galat. 5, 22. Phil. 1, 11. Unde Augustin. lib de fide & operibus c. 14. *Bona opera sequuntur justificatum, non precedunt justificandum. E.*

68. *Theologicè*: Si justificamur non ex Lege Rom. 3, 21. Galat. 2, 16. cap. 3, 21. absque operibus Roman. 3, 24. cap. 4, 5. Galat. 2, 16. sequitur, opera forum justificationis non ingredi. Verum Antecedens. E. & Conseq.

69. *Photiniani* in causam Justificationis Instrumentalem impingunt I. Fidem per obedientiam mandatorum legis definiendo. Catech. Racov. p. 246. Contra, Scriptura docet: Fidem ex Evangelio, non ex Lege esse, Roman. 3, 21, 22. Galat. 3, 11, 12. & oppo- ni omnibus operibus Roman. 3, 20, 28. cap. 4, 5, 6, 13. II. Fidem justificare, per apprehensionem meriti CHRISTI, negando Socin. cap. 9. par. 4. p. 368. cujus argumenta refellit D. Meisner. disput. 1. de fide justific. thes. 103. 117.

70. At Fidei naturam planius excutere nostri in- stituti ratio non fert. Interim videatur D. Gerhard. §. 66. 194. Ubi fidei definitum, definitio, divisio, causæ, effectum, objectum, contrariis adversariorum argu- mentis refutatis prolixè exponuntur; addi possunt disputationes publicæ D. Meisn. de Natura fidei justi- ficantis.

71. FORM A Justificationis quibusdam est obe- dientia Christi, cujus partes seu gradus insigniores sunt, incarnatio, passio ac mors, resurrectio & ascensio, Lo- bech. Disp. 7. in C. A. th. 37. Zehner. in Comp. Theol. & alii. Vide Gerhard. §. 33.

72. FORM A Justificationis est *imputatio* tum *Negativa*; peccatorum videl. nobis inhærentium non-imputatio seu remissio, Psalm. 31, 1. Luc. 1, 77. Ro- man. 3, 24, 25. 2. Corinth. 5, 19. tum *Affirmativa*; Justi- tiæ vid. CHRISTI non inhærentis imputatio seu ap- plicatio Jerem. 23, 6. Roman. 4, 5. 1. Corinth. 1, 30. 2. Corinth. 5. ult. Quibus Scripturæ dictis calculum addunt

addunt è *Patribus*, Justin. Athanas. Basil. Gregor. Ambros. Hieron. Augustin. Epiphan. &c. è *Pontificiis* Ullenberg. Pighius, Cassand. è *Jesuitis* Stapleton, Bellarmin. Cost. quorum verba allegat D. Gerhard. §. 213. 214.

73. Scripturæ igitur, Patribus, imò sibi metipsis in faciem contradicunt Jesuitæ, quando justitiam imputativam exhibent, & tanquam puerilem & absurdam rejiciunt, vocando eam justitiam umbratilem, commentitiam, imaginariam, amentissimam insaniam, spectrum cerebri Lutherani, Mathematicum solifidiũ commentum, &c. Vide Gerhard. §. 234. Qui sarcasmi non nisi à ratione fluunt humana, quæ hominem justum absque inhærente justitia (secundum illud axiom. Philos. *Dici de aliquo requirit inesse*) haud agnoscit. Unde Bellarmin. lib. 2. de Justific. cap. 7. scribit: *Fieri non potest, ut Justitia CHRISTI nobis imputetur, & pugnat cum recta ratione, ita nobis imputari Christi Justitiam, ut per eam formaliter justii nominemur ac simus.*

74. At Bellarmino Resp. I. Modum Justificationis nequaquam petendum ex ratione humana, & regulis Philosophicis, sed ex sola, sola, inquam, Scriptura S. Etenim *tota Philosophia ignorat humani generis morbum seu lapsum, ignorat medicum, seu CHRITUM; qui igitur medicinam seu justificationis sciret modum?* Hæ voces (justificare & justificari) sunt Christianorum propriæ, utpote qui solum Justificantur, & quid Justificatio sibi velit soli cognoscunt & experiuntur, verè scribit Cost. p. 227. ac justitia imputativa vocatur admiranda Justitia Psalm. 65, 6. sapientia abscondita Psalm. 50, 8. prudentia justorum Luc. 1, 17. Refer huc omni-

nò verba Apolog. C. A. de justificatione pag. 61. edit. Lips. Anno 602.

75. II. Resp. justitiam imputativam nullo modo esse (uti Jesuitæ garriunt) imaginariam & verbalem, sed realissimam, quod probamus I. *CHRISTI exemplo*, cui nostra peccata non imaginariè nec verbaliter, sed realissimè (licet non inhæsivè & habitualiter) sunt imputata Esa. 53, 6. 2. Corinth. 5. ult. 2. *Pontificiorum praxi seu testimonio*. Pontifex siquidem & Monachi suis indulgentiis laicis vendunt, applicant, & imputant (nec tamen inhæsivè & habitualiter infundunt) merita & opera Francisci aliorumque (Vid. D. Gerhard. §. 214. pag. 1597.) Sanctorum. Quæ applicatio seu imputatio, si non est realis, sed tantum commentitia & verbalis, quia non infusa & habitualis, utique Papa & Monachi pro tanta pecunia miseros laicos tantum ludificant, & muscerdam pro pipere vendunt.

76. Imputatio igitur non statim arguit, & importat inhærentem qualitatem; alias I. *CHRISTUS*, qualitativè & habitualiter fuisset peccator; est enim *reputatus* inter iniquos Esa. 53, 4, 6, 12. Marc. 15, 28. ipsi sunt *imputata* totius mundi peccata Johann. 1, 29. 2. Corinth. 5. ult. Galat. 3, 13. I. Pet. 2, 24. II. *Paulus* fuisset fugitivus in se, nam in Epist. ad Philem. v. 19. pro servo fugitivo intercedens scribit: quod si læsit te, mihi *imputa*. III. *Christiani* fuissent homines pessimi, quippe de quibus Paulus Roman. 8, 36. ex Psalm. 44, 23. ait: *Reputati* sumus tanquam oves occisionis. Et testatur Histori. Ecclesiast. tempore persecutionis Christi-

stia-

stianis imputata fuisse horrenda scelera, à quibus erant longè alienissimi. Sic Plinius lib. 18. cap. 1. *Nostris*, inquit, *eam criminibus urgemus, culpam nostram illi imputamus.* Non igitur omnis imputatio est ejus tantum rei, quæ hæret & est in nobis, sed etiam ejus quæ extra nos est. Argumenta Bellarmin. contraria examinat D. Gerh. §. 235. 248.

77. FINIS Justificationis *respectu DEI* est tum ipsius laus & gloria Roman. 3, 24, 25, 26. tum misericordiæ, justitiæ & veritatis manifestatio Psalm. 51, 6. *Respectu nostri* est salutis animarum, 1. Pet. 1, 9. & vitæ æternæ hæreditaria acquisitio Roman. 6, 22. Tit. 3, 5, 7. Vid. D. Gerhard. §. 248.

78. EFFECTUS Justificationis est *Renovatio*, quæ complectitur fructus Spiritus, seu Bona Opera Galat. 5, 22. Ephes. 2, 10. 2. Pet. 1, 5. Jacob. 2, 14. 18. de quibus disputat. seq. Renovatio hæc ab ipsa justificatione differt causâ efficiente propriâ, formâ, effectu, Adjuncto tum perfectionis, tum prioritatis, tum durationis, uti in disp. cursu ostendemus.

79. SUBJECTUM Justificationis *circa quod* seu *Objectum* est *Homo peccator*, seu peccatis, non bonis operibus vel propriis vel alienis onustus (quod probè contra Pontificios notandum) non tamen quilibet (uti Huberus autumat) sed pœnitens seu credens, Roman. 4, 5. cap. 3, 22. Qui consideratur primò secundum naturæ corruptionem & legis execrationem; deinde secundum gratiam & Evangelicam consolationem; illo respectu accusatur, hoc absolvitur.

80. In Objectum Justificationis enormiter impingunt, & Jesuitæ, & Calvinistæ.

81. *Jesuitæ* statuentes Subjectum justificationis solam hominis peccatoris animam. Unde Becanus suaviter Philosophando disputat c. 5. de Justif. Cathol. thes. 8. *An gratia educatur de potentia animæ, an per simplicem creationem producat?*

82. Nos breviter Resp. I. Non solam animam, sed totum hominem, quoad corpus & animam, justificationis objectum esse; quia peccatum, à quo homo justificari seu absolvi debet, totum invasit & occupavit hominem Psalm. 50, 6, 7. Job. 14, 4. nim. quoad animam *tùm* ratione intellectus, I. Corinth. 2, 8. Coloss. 1, 21. *tùm* ratione voluntatis Genes. 6, 5. Jerem. 17, 9. & quoad corpus ratione singulorum membrorum Matth. 5, 29. Roman. 3, 13. cap. 6, 12, 13. II. Jesuitarum sententiam falsa niti hypothese, quasi videl. gratia justificans imputativa, qualitativè & habitualiter, intelligenda sit; quod falsum esse paulò ante ostendimus.

83. *Calvinistæ* docentes; justificari & salvari non tantum verà & salvificà fide præditos & imbutos; sed & eadem carentes & destitutos. Zvingl. lib. contra Catabapti: *Non soli, inquit, credentes filii DEI sunt, sed ij qui Electi sunt, filij sunt Dei, etiam si moriantur, antequam credant.* Idem in exposit. fid. ad Christian. Regem. *Hic in vita æterna visurus es Herculem, Aristidem, Numam, Catones, Scipiones.* Quam sententiam heterodoxam defendit Gvalther. Tossa, Sohni, & Pareus in Iren. cap. 28.

84. Idem

84. Idem statuerunt olim Pontificij; Andrad. lib. 3. pag. 292. *Gentibus, ait, non prorsus ignotus fuit CHRISTUS Crucifixus.* item pag. 295. *Socrati non planè fuit CHRISTUS incognitus.* Item contra Chemnit. *Num tu, Chemniti, Philosophos & gentiles illà fide & DEI cognitione destitutos dices, per quam impius justificatur & ex qua justus vivit?* Et Sleidan. l. 22. p. 748. testatur, Anno 1552. fervente Concil. Trid. Franciscanum quendam publicè pro concione in expl. Ep. ad Rom. docuisse; *eos qui Christi cognitionem non habuerunt, honestè a. vixerunt, salutem esse consecutos.*

85. Quod annon sit in faciem contradicere Spiritui S. & in Vet. & in Nov. Testam. passim testanti, neminem absque vera fide in CHRISTUM salvari, annon manifestus Syncretismus Calvino-Papisticus hic committatur, & error Scholasticorum stabiliatur docentium; alios *Lege nature*, alios *Lege Mosis*, alios verò *lege gratia*, seu Evangelica salvari: Annon hoc sit lætum pæana Pontificiis canere, & cum Jesuitis conspirare, judicet qui judicare potest. Certè hinc vicissim Jesuita Becan. Calvinianis applaudens de Justif. B. O. p. 224. scribit. *Moderationes sunt aliqui ex Calvinii discipulis. Mulus scilicet mulum scabit!* Atque hic egregius ille Calvinianorum concentus & consensus in Art. Justif. cum Lutheranis, contra Papatum Scilicet.

86. ADJUNCTA justificationis sunt: Pax & tranquillitas conscientiaë Esa. 32, 17. Roman. 5, 1. Peccati odium & B. O. studium Roman. 8, 4. 1. Johann. 3, 6. 8.

Quo

Quotidiana item renovatio, 2. Cor. 4, 16. (Justificatio enim quotidie quidem non augetur, sed renovatur in dies) & sanctificatio Apocal. 22, 11.

87. CONTRARIA seu pugnancia justificationis sunt, Justitia Legalis Roman. 3, 20, 21. Galat. 2, 16. Pharisaica seu Hypocritica & Jesuitica Luc. 18, 9, 14.

88. Et tantum de arduo justificationis articulo, *quo stante stat, cadente cadit Ecclesia*, graviter monente B. Luth. in Psalm. 117. ex D. Augustino Jehovæ, qui Justitia nostra Jerem. 33, 16.

sit gloria.



Lang. VI. 5 1

ULB Halle 3
003 730 670




f

TA → d
neu 14 27 Stück verbleibend

Rino
V377







INE JESU!
S HIMMELLANI
ATIO XXIV.
DE
EFICA
ONE,
uam,
MIA WITTENBERGENSI
RTII, A. CI^o I^o C L.
SIDE
rissimo, & Excellentissimo
RO,
NE MEISNERO
eiusdemque Professore Extra,
i item Philosophici
ignissimo,
ore suo honorando,
sistit publicæ
FRANCISCI
annonius.
torio veterimanè.
ELIS Bendi.

11.
10